

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 6948

**Auteur(s) :** Raoul, fils d'Étienne [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Martin-de-Boscherville, Saint-Georges de Boscherville (abbaye)

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1167...

**Lieu d'émission :** Rouen, Le Pré

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Accord conclu, en présence du roi, entre l'abbé de Saint-Georges et Raoul Fils d'Étienne, au sujet du bois de « Rispevilla ».

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCLXIV, t. 1, p. 411-412.

## Dissertation critique

« Vers 1167 ? » : sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, Recueil des actes de Henri II, t. 1, p. 411.

Texte établi d'après a

Sciant presentes et futuri quod controversia, que erat inter abbatiam Sancti Georgii et Radulfum filium Stephani de bosco de Rispevilla, hoc modo terminata fuit. Radulfus venit ad capitulum Sancti Georgii, et fecit tales conventiones cum abbate Victore et monachis suis. Abbas dedit et concessit custodiam totius boscii sui de Rispevilla in feodium firmam, tali modo quod Radulfus reddet inde annuatim XL. solidos, viginti ad Natale et XX. ad Sancti Johannis Baptiste, et ita quod abbas habebit in illo boscio sicut dominus in suo quicquid necessarium fuerit ad totum herbergagium abbatie faciendum, videlicet ad opus ecclesie Sancti Georgii, ad officinas, ad salas et ad cetera edificia que pertinent ad eandem abbatiam et ad propria edificia de Rispevilla, et mittet abbas servientes suos et operarios suos in ipsum boscum, ut accipiant ibi, in quacumque parte totius nemoris viderint sibi necessarium, sive in essarto sive extra essartum, et ad marenia molendinorum suorum et ad focum et ad rogum faciendum ; et ipse Radulfus etiam habebit de boscio et ad se hospitandum et ad focum suum, ita tamen quod non poterit boscum vendere nec dare sine licentia abbatis ; et si deprehensus fuerit aliter facere et nemus wastare, poterit eum abbas dissaisire et firmam quam illi dederat per judicium afferre. Habebit etiam abbatia decimas omnes que pertinent ad illud nemus, scilicet de cunctis terris que illi adjacent et de essartis et de censibus cunctis nemoris et terrarum pertinentium et de roardis, insuper de toto exitu nemoris et terrarum ; et quando Radulfus voluerit facere essartum, veniet prius ad abbatem petere licenciam, et cum abbas concederit, mittet unum de monachis, per cuius visum erit essartum mensuratum. Et ideo quia abbas et monachi receperunt Radulfum ad custodiam illius nemoris in feodium firmam dedit ipse Radulfus et concessit abbatie ut haberet deinceps illud jus quod Radulfus clamabat antea in parte

redditus nemoris unde querela fuerat inter abbatiam et ipsum, ut deinceps teneret Radulfus totum de jure ecclesie Sancti Georgii, et totum esset postea de jure et dominatione Sancti Georgii sine controversia et sine querela. Et ita secundum conventiones istas fecit Radulfus homagium abbati Victori de custodia totius nemoris de Rispevilla in capitulo, in presentia conventus.

Hec autem conventio recognita fuit et concessa coram rege Henrico secundo et coram domina imperatrice, apud Pratum et inde debet venire Radulfus ad placita abbatis, quando submonitus fuerit.

Testes ex parte abbatie: Rainaldus de Gerponville, Robertus de Is, Stephanus Bordet, Walterus Mard., Farman, Walterus Porcus ; ex parte Radulfi, Godardus de Vaz, Johannes de Lunda, Robertus de Freschenis, Bernardus Commin, Radulfus filius Urselini, Stephanus filius ejus et Radulfus alias filius ejus, Robertus filius Clarenbaldi et Willelmus filius ejus, Radulfus filius Roberti, Robertus et Laurentius filius ejus, et alii.